[illegible]vorabilis tam ingeniose, ut legenti subinde in men-
tem veniret Graecorum paroemia πολλοὶ μαθηταὶ κρεί-
ττονες τῶν διδασκάλων. meos descriptos ad te mitto
non ut pro tuo carmine referam tibi gratiam: ae-
rea fero aereis. Sed ut nobiscum doleas, tam praeclaru(m)
tamque omni genere linguarum et artium instructu(m)
organum, Ecclesiae et nobis omnibus de improviso
ereptum esse. Ejus vidua ante dies 14. posthumu(m)
peperit moerens, Jacobum Comelinum. Mea fami-
lia etiam nunc, Dei magno beneficio, salva est. Scho-
la quoque res bono sunt loco. Deo gratias ago, qui no-
bis post asperas superiorum annorum tempestates:
optata tandem Halcedonia concessit. Vale. Conjunx
mea tibi salutem precatur, et mei familiares:
postridie Idus Januarij 1576. Bremae in schola scri-
ptu.

Te amans
Johannes Molanus

Doctori Adriano van der Mil. Delphis. 249)

Pax Christi.

Ut ego olim puerum singulari quadam benevolen-
tia complexus fui propter elegantissimum inge-
nium: ita nunc magnopere gaudeo, cum esse — [= Mscr. a. 7: N. 260]
in te pietatem cum eximia eruditione exaeque
certantem, ut haec tam praeclara divinae beni-
gnitatis munera, omnes, in quibus aliquid dexteri,
ad sincerum tui amorem invitent. In primis
autem haec in te amabilis modestia est: quod in
eminentia constitutus veteris Ludimagistri
(quod genus hominum vulgo contemptui est)
oblivisci nondum potuisti. Equidem quum me-
moria repeto cujusmodi nostra fuerit institu-
tio in educandis bonorum liberis: valde mihi
ipse succenseo et gemo saepe, et quoddam de me ipse
supplicium sumo. Affulserat aliquid lucis: sed vel-
ut in atris nubibus quae fructum omnem lucis

intercipiebant. Tum autem impie vetusq; et com-
munis vitae contagiis discessum, quod Dominus
ostenderat, obruebatur. Qua de re et loquutus
tecum nuper fui, et scripsi Cornelio tuo fratri
et Bonaventurae Vulcanio; sed uterq; offensus (opi-
nor) mea senili balbutie non est dignatus meis
literis quidquam respondere. Perpauci sunt tales
discipuli, qualem te esse mihi gratulor, et nomine
etiam causa tua laetor. Semper enim ejusmodi pi-
etas vi ipsis adolescentes infunditur, et in sinu
eorum cumulatissime recurrit. Bruningius
est isthic et Lipsius, qui ~~[illegible]~~
se in amando constanter praebuerunt. Unde
unus fuerat Comelinus, qui me multis annis tan-
quam parentem suum veneratus, non mediocre
solatium attulit meae senectuti: eum atrox lethi
superiore Septembri aetate et eruditione floren-
tem praemature subduxit. Sed omnia providen-
tia matura sunt, cujus in dispensatione lubens
acquiesco. Ea me propemodum ultra pensum
(quod ajunt) in exilio liberalissime alit, plu-
rimisq; beneficiis circumfundit. Ejus volun-
tatem Casparus est [illegible] pro virili regula
et me totum addixi, dedique. οὐδὲν ἔχω [illegible]
[illegible]. Equidem vellem hoc me tam
vere gloriari posse, quam scio vobis omnibus
aequissimum esse. Enitor modo et mihi ipse
irato, et clamo ad Deum, ut servus inutilis, qui
in hoc illi misericordia spes et rationes su-
as omnes collocavit. ~~Honesto~~ te esse loco
apud Generosum Principem Patriae Paren-
tem: et te tua consilia et studia omnia in com-
munem utilitatem conferre ex Camblio aff. ne
tuo cognovi cum magna voluptate. Sane hoc
est eorum benedictio, qui ab adolescentia Deum
pie coluerunt: ut sint similes arboribus frugi-
feris, quae patriam suam et Christi servat,

ris Ecclesiam locupletent optimorum fructuum u-
bertate. Age vero vir eximie, quantum conniti
potes, ad suos primum conatus, qui sub eodem Chri-
sti vexillo in uno Spiritu, uno pariter animo
per fidem Evangelii decertant. Fac ostendas
patriae nostrae non solum illud praeclarissimi
genitoris tui lumen; sed etiam egregia Spiritus
dona, quae consequutus es ex regeneratione. Nem-
pe, ut Apostolus monet, decet nos ἀναζωπυρεῖν
τὰ τοῦ Θεοῦ χαρίσματα. Sed ego ineptus sum, qui
haec ad te. Unde aveo cognoscere quem successum
habiturus sit schola nostra nova, quae nuper insti-
tuta est Lugduni Batavorum. Intempestive for-
tasse in mediis belli tumultibus: attamen Lace-
daemonii rebus et studiis suis bellicis semper Mu-
sarum quoque studia adhibuerunt. Et sunt in ma-
nu Dei consilia hominum et eventa. Sicut ait Pro-
pheta: Non est penes hominem via ejus: neque pe-
nes virum ambulantem, ut dirigat gressus suos.
Volebam tecum plura; sed in scholam nunc trahor. Va-
le vir egregie, et mihi prae ceteris dilecte
cum chara conjuge et universa nostra fa-
milia. Idibus Februarii 1576. Bremae

Puerorum custos jam
senescens
Johannes Molanus.

Gualtero Moriani Poëtae
genero Hamburgi.

260]

Pax Christi.

Non clam me est quam sit mihi difficile, tam distento
rebus necessariis, absentium amicorum literis re-
spondere: ausus sum tamen nuper, quasi abundarem
otio, te virum elegantem eruditum, scholastico epi-
stolio provocare. At nunc postquam tua mihi
est reddita, non minus prolixa, quam elegans episto-
la, meum factum videns, non satis officiose conti-
cuisse. Interea tua fretus aequitate persuasi egomet
mihi, nonnullam te mei semper in orbem redeuntis

[= Arch. a. 7: Nr. 261]